

DE TRIPLICI PECCATO ORIGINALI

VENIALI, ET MORTALI, CONCLUSIONES THEOLOGICAE

quae publicè in schola Theologorum disputabuntur Idib. Augusti, hora septima, praeside reuerendo patre Ioanne Guuillonio SS. Theologiae doctore, & professore ordinario, defensore egregio liberalium artium M. Rodolpho Glencken.

- S**icut uirtus bona & secundum naturam, ita uitiū malum & contra naturam.
- 2 Et ut magis laudatur actus bonus quia nobilior quam habitus bonus, hoc est actio uirtutis, quam uirtus, sic magis damnatur opus malum, quam habitus malus.
 - 3 Quamuis plerumq; peccatum sit actus malus, contingit tamen ipsum esse absq; omni actu. Scienti bonum facere et non facienti peccatum est illi, Iacob. 4.
 - 4 Peccatum est factum, dictum, concupitum contra legem Dei, uel non factum, non dictum, non concupitum iuxta legem Dei.
 - 5 Peccata specie distinguuntur ex diuersis obiectis & finibus.
 - 6 Peccatorum quaedam carnis, quaedam spiritus.
 - 7 Sicut uirtutum quarundam actiones feruntur in Deum ut fidei, spei, charitatis, quarundam in proximum ut iustitiae, obseruantiae, quarundam in ipsum operantem ut temperantiae, sobrietatis, ita peccatorum quaedam in Deum, quaedam in proximum, quaedam in ipsum qui peccat.
 - 8 Peccatorum alia mortalia, alia uenialia.
 - 9 Tria sunt (inquit beatus Hieronymus) generalia delicta, quibus humanum subiacet genus, aut enim cogitatione, aut sermone, aut opere peccamus, his addenda omisso ut diuisio perfecta sit.
 - 10 Cum uirtus ferè omnis in medio posita sit, fit ut peccatorum nonnulla abundantiam contineant, nonnulla defectum.
 - 11 Virtutes quidem sunt connexae, ut qui unam habeat omnes eam habere necesse sit, at non peccata.
 - 12 Dictum beati Iacobi Apostoli, Qui offendit in uno, factus est omnium reus, non hoc uult, ut qui homicidium fecerit, is etiam sit adulter, sed hoc, qui unum praecipuum uiolat, omnium aliorum obseruatorum premium non habebit.
 - 13 Peccata non sunt paria, sed alia alijs grauiora.
 - 14 Ex obiectis & finibus grauitas aestimatur delictorum.
 - 15 Carnalia leuioris culpae at maioris infamiae, tamen eiusmodi ut propter eorum grauitatem regna, ciuitatesq; ut scripturae ostendunt, euerse sint.
 - 16 Ex causa quoq; grauitas peccati deprehenditur.
 - 17 Quae enim ex scientia, malitia, absq; ui & metu fiunt enormiora sunt peccata.
 - 18 Circumstantia auget peccatum, atq; interdum mutat speciem.
 - 19 Nocuenti magnitudo enormius facit delictum.
 - 20 Sed & conditio tam peccantis, quam eius in quem peccatur momentum adfert non leue ad peccatum, Maior iniquitas Christiani quam gentilis, maior offensa in regem quam rusticum.
 - 21 Quemadmodum ex his grauiora redduntur peccata, sic ex ignorantia, perturbatione, ui, & metu minuuntur.
 - 22 Et si ignorantia, perturbatione, ui in potestate hominis non fuerint, omnino purgant à peccato. Non peccauit Iacob Liam cognoscens, non peccat furor correptus, neq; is cuius brachium ui impulsus hominem laeserit.
 - 23 Sicuti uoluntas est qua rectè uiuitur, ita eadem est qua peccatur, adeò ut id quod nullo modo est uoluntarium, nullo modo sit peccatum.
 - 24 Causa peccati intra hominem gemina, uoluntas, et passio siue perturbatio appetitus sensitui.

- 25 Extra hominem, causa peccati esse potest daemones, homo, & sensibilia.
- 26 At neq; perturbatio quae intra concitatur, neq; haec quae extra sunt necessitatem adferunt uoluntati, ut delinquat peccato actuali.
- 27 Neq; corpora coelestia.
- 28 Peccatum interdum est causa peccati. Gregor. Peccatum quod per poenitentiam citius non deletur suo pondere ad aliud trahit.
- 29 Ignorantia quidem peccatum censetur, cum quis ea quae scire debet negligentia ductus nescit, & eadem multorum causa peccatorum.
- 30 Amor sui usq; ad contemptum Dei constituens ciuitatem Babylonis, causa est omnis peccati.
- 31 Ioannes Apostolus triplicem causam peccati ostendit, dum omne peccatum quod in mundo fit, aut ex concupiscentia carnis, aut ex concupiscentia oculorum, aut ex superbia uitae existere scribit.
- 32 Deus causa peccati neq; est neq; esse potest, excœcat tamen & indurat iustie gratiam subtrahendo.
- 33 Diabolus non alia ratione hominem interius inducere uidetur ad peccandum, quam concitando fantasiam & appetitum sensituum, quod facit mouendo humores corporis, cum à Deo & Angelis non impeditur.
- 34 Primus homo causa peccati extitit toti posteritati, dum eius peccatum in omnes homines pertransiit, Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, Rom. 5.
- 35 Quisquis procreatur ex uiro & foemina (una beata uirgine matre Domini excepta) obnoxius originis peccato per conceptionem extat.
- 36 Hoc Theologi definiunt absentiam iustitiae originis, quam inesse oportuit.
- 37 Naturae bonum quouis peccato debilitatur, mortali magis, ueniali minus.
- 38 Ex peccato originis quatuor uulnera homo accepit, infirmitatem, ignorantiam, concupiscentiam, malitiam.
- 39 Mors, aegritudines, aliaq; mala multa ex peccato originis profluxerunt, quo fit ut iniuria Plinius naturam alijs matrem fuisse dicat, homini uni noueram.
- 40 Obligatio ad poenam ex peccato consequitur, aeternam si mortale commissum sit, temporalem si ueniale.
- 41 Non habet ratio iustitiae ut breuis temporis actui, breuis temporis poena rependatur.
- 42 Macula ex omni peccato existit, quo deformis anima redditur.
- 43 Deletur peccatum originale baptismo duntaxat.
- 44 Mortale autem uel baptismo, si sit in nondum baptizato, uel poenitentia, si post baptismum committatur.
- 45 Veniale multis modis expiatur, aspersione aquae benedictae, confessione generali, recitatione orationis dominicae, atq; alijs qui à doctoribus assignantur.
- 46 Peccatum ueniale fieri nequit mortale.
- 47 Neq; infinita uenialia unum mortale constituunt.
- 48 Peccata uenialia in sacra scriptura per ligna, foenum, stipulam designantur.
- 49 Homo in statu innocentiae non potuit peccare uenialiter antea quam peccaret mortaliter.
- 50 Angelus malus non potest peccare uenialiter.

FINIS.

